



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

39. Cur à Pipino potius petierit licentiam quàm à Rege, cum Franciae  
Reges Austrasiae & Franciae Dominarentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO XXXIX.

Cur à Pipino potius petierit licentiam quàm  
à Rege, cum Franciæ Reges Austrasiæ &  
Franciæ Dominarentur.

**R**espondetur, Si regia dignitas & auctoritas in Francia solidè stetit, haud dubiè à Rege Sancto Willibrordo petenda venia fuisset. Verùm in aduentu eius erat nudum nomen Regium vmbra tantum Regiæ maiestatis & auctoritatis, Regibus inertia & socordi libidine in Palatio torpentibus, Maioribus Domus, qualis erat Pipinus, regium imperium vrsurpantibus. Ij legatos excipere, audire, responsa dare, ij bella decernere ac plene administrare, omnes dignitates tam Franciæ quam Austrasiæ pro voluntate conferre, fiscos donare, Episcopos & monasteria opibus instruere. Ad hæc Pipinus Theodoricum Franciæ & Austrasiæ Regem, simul Bertharium, qui Maioratum Franciæ affectarat, bello subiectos tenebat: & quemadmodum in vita Sancti Huberti legitur, omnes Tyrannos in Francia & Austrasia oppresserat: is demum bellica fortitudine euaserat, vt nemo, quantumuis potens, contra insurgere, nemo mutire auderet. Quare & necessarium & sufficiens fuit S. Willibrordo illum adire, ab eo præsidia efflagitare. Durauit immodica, si non enormis, Maiorum potestas vsque ad annum 752. quo Pipinus tertius ex Maiore Domus Franciæ & Austrasiæ Rex coronatus exundantem Maiorum potestatem repressit, imo penitus extinxit propriâ potestate Regibus denuò vtentibus.

DISSER-